

itaque poenam ignis omnium gravissimam commeritus. Ignis ille tartareus quasi animatus toror et carnifex est peccatorum, minister divinæ justitiæ; qui ubicumque peccatum aliquod subolfacit, illuc statim grassari jure suo, et devorare impium vult; adeo ut in cœlum etiam violentas manus injecerit, et prævaricantes angelos inde extraxerit. Tantum igitur malum est peccatum, ut ne in cœlo quidem asylum inveniatur contra illum satellitem, qui etiam sacra loca invadit extrahitque reos.

V. Ita e cœlo in abyssum dejecti sunt, ut nequeant inde amplius remeare, aut a peccato suo respiscere per omnem æternitatem: subtracto nimirum eis concursu gratiæ divinæ. Ait enim S. Jacobus, *rudentibus inferni* in tartarum detractos, et traditos ad cruciatum. Nulla autem ex inferno datur redemptio, fortissimi illi rudentes perpetuo eos alligant; quod enim est mors homini, hoc erat lapsus angelo: homo ad mortem usque viator est, angelus usque ad lapsum erat. Nec mirum, cum enim sint perfectissimæ et intelligentissimæ creaturæ, perfectissimæ Dei obedientiæ obstricti sunt; quemadmodum et in bello milites, ut si vel semel unum articulum transgrediantur, statim rei capitis fiant. Hinc ille Atheniensium dux Lamachus castigavit quemdam centurionem, qui deliquerat nescio quid. Et cum ille dixisset: *Non iterum istud committam. Ne possis quidem, inquit, in bello peccare bis: error enim in bello mors est.* Plut. in regum apophth. Pari ratione error in angelis mors est. Sunt enim ipsi Dei milites strictissimæ alligati observantiæ, velut ejus milites, qui pro Dei gloria potentissime pugnent. Unde eorum exercitus appellatur *militia celestis*, Luc. II. et *castra Dei*, Gen. XXXII. ipse vero Deus, *Deus sabaoth*, hoc est, *exercituum*. Audiamus unum e dæmonibus hac de re interrogatum a Sancto Bernardo in muliere ab ipso obsessa. Hunc enim cum Papie in Ecclesia S. Syri Bernardus percontatus esset inter alia: *Unde Jesum nosti? Et si unquam eum vidisti? Vidi inquit, Ubinam eum vidisti? In gloria. Et tu in gloria fuisti? Fui quidem. Et quomodo inde existi? Cum Lucifero, inquit, multi cecidimus.* Hæc autem omnia voce lugubri per os vetulæ, audientibus omnibus, loquebatur. Respondente autem S. abbate: *Numquid in illam gloriam redire velles, et restitui in gradum pristinum?* Voce mutata, et miro modo cachinnans: *Hoc, inquit, tardum est.* Et nihil ultra loquens, orante attentius viro Dei, nequissimus ille victus accessit. O miseri vos dæmones, quibus redire ad gratiam et cœlum, jam nimis tardum est! Felices contra nos quibus adhuc patet aditus ad gloriam, si tamen intrare in tempore contendimus! Væ

illis, qui cum dæmonibus dicent aliquando: *Nimis tardum est, ad superbos redire.*

VI. Propter unicum peccatum mentale, seu cogitationem superbam, qua vel appetebat propriis viribus supernaturalem beatitudinem, vel eam sprevit, et naturalem suam tantum retinere, vel aliis angelis independentem a Deo imperare voluit, vel, ut alii existimant, unionem hypostaticam ambiit, Christo eam invidens. Quidquid vero illud sit, aliquid Deo soli debitum sibi attribuere, sibi rapere voluit, ad instar alicujus ministri, qui fruges aliumve cibum domino suo debitum, adeoque afferendum, prius ipse vel delibat, vel omnino devorat. Quis vero, hoc audito, non contremiscat? Ob unicam ambitiosam cogitationem tanti cœli proceres, tanto numero, tantis adducuntur pœnis! Edixerat Saul sub pœna mortis, ne quis militum aliquid gustaret usque ad vesperam: hoc mandatum Jonathas fuit transgressus, sed levissime; virgæ enim suæ apicem intinxit in mel fluens, applicuitque ori, et mel gustavit. Quod ubi rescit Saul, filium morti addixit. Ad quod Jonathas: *Gustans gustavi paululum mellis, et ecce ego morior.* Verum intercessit populus, ne pœnas daret Jonathas, 1. Reg. XIV. Videte nunc Luciferum cum cohorte sua. Unica honoris sibi interdicti appetitione jactavit se paulisper, quasi summitate virgæ gustans parum mellis, et in æternæ morti et stygis incendio adjudicatur: non ex tanto reliquo angelorum numero vel unus est, qui pro reis intercedere, et Deum judicem mitigare audeat. Ubi jam sunt, qui dicere non verentur cogitationes malas parum aut nihil curandas, adeoque a vectigalibus esse liberas? Ubi, qui ob unicum lapsum parum sibi timent, quasi primi errores condonari debeant? Quid vero de illis dicam, qui peccata toties conduplicant? Bene igitur monet Ecclesiasticus, c. XXI. *Fili, peccasti? Non adjicias iterum;* quia scilicet iteratio facit, ut peccatum humanum fiat quasi angelicum, adeoque venia indignum; et tales: *Nonnunquam ita præveniuntur repentino Dei furore, ut nec conversionis tempus nec beneficium remissionis inveniant,* ait S. Fulgentius, de fide ad Petrum, c. III. Præ cæteris vero fugiamus superbiam, quæ prostravit supremum angelum et cum ipso alios innumeros. Hac de causa Dominus, Luc. XIII. proponit exemplum illud justitiæ divinæ de turri in Siloe, quæ casu suo obtrivit homines octodecim, addens: *Si penitentiam non egeritis, omnes similiter peribitis, q. d. in cautelam vestram id permisit Deus.* Turris erat Lucifer, qui casu suo obtrivit angelos innumerabiles. Casus hic permissus est ad cautelam hominum. Nisi ergo conversi fueritis, omnes similiter peribitis.

IN FESTO SS. SIMONIS ET JUDÆ

EVANGELIUM, JOAN. XV.

In illo tempore, dixit Jesus discipulis suis: Hæc mando vobis, ut diligatis invicem. Si mundus vos odit: scitote quia me priorem odio habuit. Si de mundo fuissetis, mundus quod suum erat, diligeret: quia vero de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo: propterea odit vos mundus. Mementote sermonis mei, quem ego dixi vobis, non est servus major domino suo. si me persecuti sunt, et vos persequentur, si sermonem meum servaverunt, et vestrum servabunt. Sed hæc omnia facient vobis propter nomen meum, quia nesciunt eum qui misit me. Si non venissem et locutus fuissetis eis, peccatum non haberent, nunc autem excusationem non habent de peccato suo. Qui me odit, et Patrem meum odit. Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent. Nunc autem et viderunt, et oderunt et me et Patrem meum. Sed ut adimpleatur sermo qui in lege eorum scriptus est, quia odio habuerunt me gratis.

CONCIONES.

- I. Quomodo diligendus sit proximus.
- II. Causæ cur inimici etiam diligendi sint.
- III. Ostenditur mulierem debere esse viro subditam.
- IV. Bonos cur hic tribulari oporteat; seu tribulationum necessitas.
- V. Mundi ingenium.
- VI. Instructio confirmandi.
- VII. Documenta.
- VIII. Mysteria.

CONCIONES AUCTARIIL.

- I. Quando Judæ, seu confessores esse debeamus.
- II. Judæ proxiatori qui non absimiles.
- III. Cur, quomodo et quando zelotæ esse debeamus.
- IV. Obedientia quibus maxime commendata esse debeat.
- V. Inferiores ne dominantur superioribus.

CONCIO I.

QUOMODO DILIGENDUS SIT PROXIMUS.

- I. Ordinate. — II. Sancte. — III. Efficaciter. — IV. Gratis. — V. Indifferenter. — VI. In vitam æternam. — VII. In finem et constanter.

THEMA.

Hæc mando vobis ut diligatis invicem. Joan. XVI.

In præclaro illo sermone, quem in ultima cœna Dominus habuit ad suos discipulos, et ex quo sumptum est hodiernum evangelium, nihil magis inculcat, quam charitatem mutuam: *Mandatum novum do vobis, inquit, cap. XIII. Joan. ut diligatis invicem, sicut dilexi vos: et cap. XV. Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos: et paulo post: Hæc mando vobis ut dili-*

gatis invicem. Hoc vero ideo facit Dominus; quia præceptum hoc est omnium præstantissimum, saluberrimum, quodque ipsi maxime placet, et ex quo vere discipuli ejus esse dignoscimur. « Quemadmodum enim vestes, inquit Chrysostomus, hom. XXXII. in I. ad Corinth. licet aureæ sint, calceamenta aurea, aliud tamen quoddam indumentum requirimus ut regem agnoscamus: purpuram autem et diadema ubi primum intuemur, jam regiæ majestatis signum aliud nullum expectamus: ita sane, cui charitatis diadema incumbit, jam nihil obstat, quominus Christi discipulus vere existimari possit, non nobis solum, sed et impiis: In hoc enim, inquit, cognoscent, quod discipuli mei estis, si dilexeritis invicem. » Sic ille. Et hinc dilectus ille discipulus Christi Joannes, qui hunc sermonem Christi scripsit, memor Dominici præcepti, charitatem mutuam

adeo cordi suo inculpavit, ut fere nihil aliud in ore haberet. « Cum enim Ephesi moraretur usque ad ultimam senectutem, inquit S. Hieronymus, ad Gal. VI. et vix inter discipulorum manus ad ecclesiam deferretur, nec posset in plura vocem verba contexere, nihil aliud per singulas solebat proferre collectas, nisi hoc: Filioli diligite alterutrum. Tandem discipuli et fratres, qui aderant, tædio affecti, quod eadem semper audirent, dixerunt: Magister, quare semper hoc loqueris? Qui respondit dignam Joanne sententiam: Quia præceptum Domini est, et si solum fiat, sufficit, etc. » Sed percontari lubet, quare hoc præceptum novum peculiariter Christi præceptum vocetur? Annon Dei Patris etiam et antiquissimum præceptum est: *Diliges proximum sicut teipsum?* Ita sane. Sed sciendum ex sententia Cyrilli, lib. IX. in Joan. cap. XXIX. Chrysostomi, Theophylacti et aliorum, quod modus diligendi proximum, quem præscripsit, docuitque Dominus, novus est, et Christianis proprius, maximeque conveniens. Is vero est, ut diligamus proximum sicut Christus dilexit nos, Joan. XIII. et XV. Quod nunc videndum.

I. Christus dilexit non ordinate; ita ut Deum primo, diligeret, et nos propter Deum, nec anteponeret nos amori divino, sed postponeret. Patet in S. Joanne, quem summopere diligebat Dominus, noluit tamen ei promittere sessionem ad latum suum, quia id concedere divinæ prædestinationis erat. Dilexit valde Petrum, sed voluit se impedire a passione ex Patris decreto subeunda, dixit: *Vade retro Satana.* Præ omnibus creaturis summe diligebat Matrem: voluit tamen eam doloribus affligere, cum inscia ipsa remansit in templo, Jerosolymis per triduum, quia voluntas Patris erat, ut id ageret, cui magis obligatus erat. Non ita Adam egit, quia relicto Dei præcepto, potius audiit vocem uxoris, rem vetitam suadentis, ne eam contristaret, idcirco a Deo audit: *Quia audisti vocem uxoris tuæ (potius scilicet quam meam) et comediisti de ligno, ex quo præceptam tibi, ne comederes: maledicta terra in opere tuo, in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ,* Gen. III. Simili modo Pilatus, licet innocentiam Christi videret, et iniquam ejus condemnationem, ne tamen perderet amicitiam Cæsaris, Christum præter jus fasque condemnavit: idcirco et Dei et Cæsaris gratiam jure meritoque perdidit, siquidem a Tiberio imperatore, cui placere studuerat condemnatus et Viennam in Galliam relegatus est, tandemque anno Christi quadragesimo primo, multis calamitatibus pressus sua se manu interfecit, Baron. anno 41. Et vero quam multi adhuc horum potius, quam Christi sectato-

res inveniuntur? Quam multi cum Adamo sunt mariti, qui ut placeant uxoribus, earum gratiam retineant, easque non contristent, plurima mala agunt? Quam multi accipiunt pomum ab uxoris manu, quod illa contra Dei mandatum offert? Quam multi cum Pilato propter amicos, ne eos contristent, vel inimicos sibi faciant, inique judicant, injustæ adstipulantur sententiæ vel actioni, falsum testimonium ferunt, injusta multa connivent? At non est hic amor iste novus, quem docuit nos Christus: amor iste perniciosus est et ethnicorum, qui hominibus potius, quam Deo placere studuerunt: quamquam nec inter illos defuere, qui amorem hunc improbarunt; Cicero enim leges texens amicitiam hanc in fronte posuit: *Prima lex est amicitiam, ut neque rogemus res turpes, neque faciamus rogati,* Cicero, in Lælio. Pericles etiam amico flagitanti, ut pro se juramento confirmaret, quod non erat, respondit: *Amicus tibi sum sed usque ad aras* (Plutarch. in apophth.) quasi dicat: Non usque ad numinis offensionem; quia olim jurantes aram manu contingebant. Utinam igitur vel ab istis rationem diligendi proximum disceremus vere christianam. Stultus est is amor, qui pro amico se in peccatum et gehennam præcipitat. Quemadmodum nemo prudens laudavit adhuc factum Galeacii Mantuani, qui Papiæ hibernans, et forte in ponte obviam habens puellam, ab eadem audiens per quamdam jocandi speciem: *Amator egregie, quin e ponte in amnem desilis mei gratia?* mox concitato equo præcipitavit se in Ticinum, unde vix natabundus emersit, Pontan. lib. I. cap. XXXV. de fortitud. Et plerumque fit ut tales et odium Dei et hominis simul, cui contra Deum adhærebant, incurrant, ut Pilatus. Sic Volsæus episcopus, qui cum auctor fuisset Henrico VIII. Angliæ regi, ut is Catharinam Aragoniam legitimam conjugem repudiaret, postea regiæ etiam majestatis reus factus, dum Londinum duceretur supplicio afficiendus, furiis conscientiam malæ agitatus, et quasi desperabundus, dixit: *Utinam nihil magis divinæ majestatis læsæ reus essem. Nunc autem cum nihil prius habuerim, quam ea relicta regi inservire, et in Deum peccavi et in regem,* Nicol. Sanderus, de schism. Angl. lib. I.

II. Dilexit sancte, ob virtutem scilicet non ob formæ elegantiam, affabilitatem, nobilitatem vel voluptatem, etc. Patet Marc. X. ubi adolescentem vitam æternam consequi cupientem, et respondentem, quod omnia Dei mandata observasset a juventute sua, intuitus eum dilexit, quia videlicet mandata Dei ita sedulo servasset. Eundem vero ad perfectionem vocatum, et cum tristitia abeuntem, abire permisit. Itaque eum in via

Dei currentem dilexit: eundem vero a cursu cessantem, et in opere torpentem repudiavit. Ratio itaque diligendi proximum, virtus esse debet, non forma, non nobilitas, non delicia, etc. hi enim amores fundamento carent, et super arenam constructi sunt, id est, super bona fluxa, ideo cito corrunt, cum suis fundamentis, licet initio vehementissimi sint. Ut enim nullum vestimentum est tam festivum, quin assuetudine tandem fiat quotidianum et contemptum; sic amores isti vani. David initio quidem ob formæ elegantiam et psallendi peritiam adeo diligebatur a Saule, ut semper in conspectu ejus stare debuerit, I. Reg. XVI. Paulo post tamen ita ab eo odio habitus est: *Ut non posset Saul rectis oculis eum intueri,* I. Reg. XVIII. Sic etiam deperit Ammon sororem suam Thamar ob speciei excellentiam, ita ut propter eam ægrotaret: sed postquam eam compressisset, exosam habuit: *Odio magno nimis,* II. Reg. III. Cujusmodi amor peste magis fugiendus est, quia bestialis; tantum abest, ut christianus sit. Veram autem optimamque amicitiam esse ob virtutem, docet vel ethnicus Aristoteles, lib. VII. moral. cap. III. cum doctrina Christi optime concordans.

III. Dilexit efficaciter, opere et virtute, non verbo tantum et lingua, ut testatur S. Joannes, I. Joan. III. cum ait: *In hoc cognovimus charitatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit.* Subdit mox: *Et nos debemus pro fratribus animas ponere. Qui habuerit substantiam hujus mundi et viderit fratrem suum necesse habere, et cluserit viscera sua ab eo: quomodo charitas Dei manet in eo? Filioli mei, non diligamus verbo neque lingua, sed opere et veritate.* Hæc Joannes. Qui non ait subveniendum egentibus, cum rogamur, sed si videamus eos, succurrendum esse. Hoc enim fecit Christus, ut testatur S. Joannes Chrysost. orat. I. advers. Judæos, inquit: « Propterea Christianus es, ideo hoc nomen accepisti, ut Christum imiteris ejusque legibus operum exhibitione pareas. Quid autem ille fecit? Non Jerosolymis desidens vocavit ad se ægrotos, sed obambulabat civitates ac vicus geminos curans morbos, tum animi tum corporis: attamen poterat eodem in loco sedens omnia ad se attrahere, non tamen hoc fecit nobis præbens exemplum, ut obambulemus et quæramus eos, qui pereunt. Annon videas medicos quoque hoc ipsum facere? Non cogunt ægrotos lecto decumbentes ad ipsorum ædes deferri, sed ipsi accurrunt ad eos. Hoc et tu facito dilecte, sciens hanc præsentem vitam esse brevem, quodque nisi hæc lucra paraverimus, nullam illic sumus habituri salutem. » Hæc Chrysost. Tali amore flagrabat erga Jonatham

David, qui eo jam mortuo dixit: *Putasne est aliquis, qui remanserit de domo Saul, ut faciam cum eo misericordiam propter Jonatham,* II. Reg. IX. Amor sola mente conceptus, vel lingua tantum expressus et opere non exhibitus, sterilis est, quia nec tibi affert laudem aut consolationem, vel suavitatem, quam perciperes alioquin ex amore reciproco; nec alteri quidquam prodest, imo scandalo est cæteris. Unde verus amor non est, quia verus amor otiosus non est.

Inanis igitur est illorum amicitia, qui ore tenus sua deferunt obsequia, cum autem requiruntur de obsequio præstando, de suo nihil ponunt, neque operam, neque pecuniam.

Unde apostolus Jacobus, cap. II. ejusmodi charitatem fidei mortuæ comparat, quæ et ipsa inutilis est: *Si frater, inquit, aut soror nudi sint, et indigeant victu quotidiano, dicat autem aliquis ex vobis illis: He in pace, calefacimini et saturamini; non dederitis autem eis, quæ necessaria sunt corpori, quid proderit? Sic et fides, si non habeat opera, mortua est in semetipsa.* Quare sicut mortua fides intrat infernum, ita et mortua charitas.

Porro non frustra dixit: *Et nos debemus pro fratribus animas ponere;* nam propter salutem proximi debemus temporalia nostra contemnere, eorumque jacturam facere.

Unde Augustinus, lib. de mendacio, cap. VI. ait: *Temporalem vitam suam pro æterna vita proximi non dubitabit Christianus amittere.* Hæc autem ratio dilectionis nova, et Christianis propria est. Sic S. Gregorius Nazianzenus cum propter se ab invidis turbas cieri, et alium episcopum substitui videret, dixit: « Absit ut mei causa simultas aliqua in Dei sacerdotibus oriatur. Si propter me orta est hæc tempestas, mittite me in mare, ut vos jactari desinatis, » in vita ejusdem.

IV. Dilexit gratis, nullo suo commodo; quia sumus: *Justificati gratis per gratiam ipsius,* ait apostolus ad Rom. III. Quidquid enim boni agimus, nobis serimus et metimus. Ad hæc pauperes elegit apostolos, a quibus nihil sperare poterat compensationis. Similiter ergo gratis diligere debemus proximos sine spe retributionis ab ipsis percipiendæ, si christiane diligere volumus: *Si benefeceritis his, qui vobis benefaciunt, quæ vobis est gratia? Si quidem etiam peccatores hoc faciunt,* ait Dominus, Luc. VI. Imo talis amor non est proximi, sed sui ipsius; quia amare proximum est ei bene velle: tales autem sibi potius bene volunt, quam proximo, imo illum exinanire cupiunt.

Unde recte comparantur pediculis, qui non dis-

cedunt a morientibus, nisi sanguis extinctus sit, quo nutrir solent. Sic diligunt adulatores, parasi ac multi clientes benefactores ac Mecenates suos, propter derivata in se ab illis beneficia, imo plurimi parentes diligunt ita liberos suos, dum eos provehere ad dignitates et opulenta matrimonia volunt; siquidem in illis ipsi evehi et excellere cupiunt, esseque post vitam immortales. Cujus indicium est, quod cum contigit mori liberos eorum etiam innocentes, fient irremediabilibus lacrymis, quia vident se non ultra posse in illis optato modo excellere, et nomen suum apud posteros immortalitati consecrare; cum potius gaudere deberent ob felicissimam eorum sortem. Horum typus erat Isaac, qui Esau filium amabat, eo quod vescebatur de venationibus ejus, Genesis XXV. Desinit hic amor cum amatus desinit benefacere.

V. Dilexit etiam inimicos. Etenim: *Cum inimici essemus*, inquit apostolus ad Rom. V. *reconciliati sumus Deo per mortem Filii ejus*. Sic lavit pedes proditori suo; restituit aurem abscissam insidiatori suo; oravit pro crucifixoribus suis; sic Christianum decet diligere non amicos tantum, sed etiam inimicos: *Si enim diligitis eos, qui vos diligunt*, ait Dominus, Matth. V. *quam mercedem habebitis? Nonne et Publicani hoc faciunt? Et si salvaveritis fratres vestros tantum, quid amplius facitis? Nonne et ethnici hoc faciunt?*

Nova est lex christiana, et novam perfectionem affert. Diligere amicos etiam ethnici solent: diligere ergo inimicos Christianorum est. Porro sicut Christus multa etiam adhibuit media ad reconciliandum sibi proditorem suum, (lavit ei pedes, cibavit eum in mensa, et tandem comminatus est ei) similiter quis Christianus media adhibere debet ad reconciliandos sibi inimicos, per beneficia, per veniam rogationem, per compromissarios, etc. Et qui prior est in tali officii genere, hic laude dignior et Deo charior est.

Fecit et Aristippus philosophus gentilis, teste Plutarcho, de cohibita ira, qui cum simultatis aliquid haberet cum Æschine, domum ejus adiens: *Num quamprimum, inquit, redibimus in gratiam ac nugari desinemus, an potius expectabimus ut scurrus inter pocula fabula fiamus?* Cui cum Æschines responderat, libenter se in gratiam rediturum: *Memento igitur*, ait Aristippus, *quod cum essem natu major, prior ad te accesserim. Ad quod alter: Næ tu profecto vir me longe es melior; siquidem a me simultatis, a te sarcinæ gratiæ factum est initium.* Discant ab his Christiani. Et sane nulla in re luculentius apparet amor Dei, quam in dilectione inimici; bicentum non diligitur propter se, aut propter aliquam utilitatem, aut con-

soationem, quam amans inde percipiat, sed unde propter Deum, et gratis: quæ sane perfectissima dilectio est.

VI. Dilexit in vitam æternam, hanc enim suis comparabat, non agros, non vineas, non dignitates: etiam ipsi Matri suæ et discipulis. Petierat quidem, Matth. XX. mater filiorum Zebedæi filiis suis sessionem a dextris et sinistris Christi in regno ejus, quod putabat futurum temporale, ut vult, Sanctus Chrysostomus, homil. LXVI. et alii; sed audivit: *Nescitis quid petatis: et Christus spiritualia potius bona eis proponit prosequenda: Potestis lvere calicem, etc?* Similes parentes videre est quam plurimos, qui de eo solum cogitant, ne filii ægrotent corpore, ne mendicent aliquando, ne in ænum inter cives locum sortiantur, ne vile aut indignum sibi ineant matrimonium, ne gibbum aut aliquem in facie circumferant nævum, etc. de veris autem malis, Dei odio, malis moribus, sæculi vanitate, intemperantia, superbia, impietate et vitiis aliis a filiis suis avertendis, de æterna denique damnatione cavenda nec tantillum cogitant.

Multi item parentes solliciti sunt, quomodo liberos suos ecclesiasticis beneficiis onerent, quomodo a religionis ingressu abstrahant, sæculo conforment et promoveant ad dignitates, gravent opibus, splendide vestiant et comant, etc.

Negligunt illis vicissim vera bona querere, Dei gratiam, mores inculpatos, conscientiam bonam, doctrinam sanctam, vitam æternam, etc. Ac hoc non est diligere in vitam æternam, quomodo Christus dilexit suos, dilexit Christus Matrem, dilexit apostolos, dilexit discipulos, et vere sicut oportebat.

Numerate, si potestis, possessiones, palatia, vineas, hortos, vestes holosericas, dignitates, præbendas, quas eis attribuit. Væ igitur nobis, qui dicimur diligere et odio prosequimur amicos, dum occasiones perditionis eis querimus: verius hoc est diligere ad gehennam.

VII. In finem dilexit eos, ait Joannes, cap. XIII. si quidem ultima cœna lavit eis pedes, etc. Ad hæc discessurus e vita reliquit se Christianis in sacramento altaris. Similiter ergo non ad tempus sed constanter usque ad mortem imo et post mortem diligant Christiani.

Agnoscebant hoc amoris debitum etiam gentiles, qui olim amorem pingebant in forma juvenis, ut indicarent eum semper vivere et nunquam consenescere debere; sine pileo, quia abiique contestari palam debet amicus secum amorem; cum veste lacera, quod neminem propter paupertatem contemnere; in simbria scriptum erat: *Vita et mors*; in fronte: *Hiems et æstas*,

quod utroque tempore amare; habebat cor apertum, quod nihil amico celare; digito monstrabat cor, id est, securitatem amoris vel arcanorum communicationem et cordis sinceritatem; in corde scriptum erat: *Longe et prope*, quia longe et prope amare deberet.

Possumus hanc figuram verissime aptare Christo. Ipse enim juvenis est, amore semper virens; cor apertum habet, quia omnia nobis nota fecit, quæ audivit a Patre suo; vestem habet lacera id est, propriam carnem propter nos laniatam diligit in vita et morte, hieme tribulationis, et æstate prosperitatis; longe et prope amorem suum erga nos testatur, etc. Ad hunc ergo modum diligere debemus proximum Christiani, constanter, sincere, palam, in vita et post vitam, in prosperitate et adversitate, prope et longe degentem.

Itaque audiamus apostolum, ad Ephes. V. dicentem: *Estote ergo imitatores Dei, sicut filii charissimi, et ambulate in dilectione, sicut et Christus dilexit nos, et tradidit semetipsum pro nobis oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis.*

CONCIO II.

CAUSÆ CUR INIMICI ETIAM DILIGENDI SINT.

Propter Christum: 1. Propter ejus mandatum. 2. Propter æquissimam ejus postulationem et meritum. 3. Propter ejus exemplum. — II. Propter nos ipsos. — III. Propter inimicos: 1. Quia a peccatis te arcant. 2. Quia te ad virtutem simulant. 3. Quia te ad gloriam promovent.

THEMA.

Hæc mando vobis, ut diligatis invicem. Joan. XV.

Sanctus Chrysostomus, homil. XLIX. super Matthæum, narrat pervulgatam illam de aquila historiam, utpote quæ soleat pullos suos ungue suspensos ad solarium radiorum obtutum evehere, et examinare legitime sint an spurii: et siquidem recta intendere potuerint contra solis radios, pro legitimis agnoscere, sin minus, ut adulterinos abjicere.

Addit vero idem sanctus sic et filios Dei ad Christi justitiam pleno corde suscipiendam comprobati.

Hoc certe facit Christus circa dilectionem inimicorum: levat enim nos in altum, et vult ut rectis oculis, sive placide et amice inimicos intueamur, salutemur, alloquamur, diligamus, eis beneficiamus, pro iis oremus, etc. si filii ejus legitimi haberi ab eo velimus.

Hoc enim monet Matth. V. cum ait: *Ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos et orate pro persequentibus et calumniantibus vos, ut sitis filii* (utique legitimi, non spurii) *Patris vestri, qui in cælis est, qui solem suum oriri facit super bonos et malos, et pluit super justos et injustos.* Quam dilectionem etiam in hodierno evangelio comprehendit, cum ait: *Hæc mando vobis, ut diligatis invicem*, omnes videlicet, nemine excepto, sive amicos, sive inimicos.

Ideo paulo ante vocat hoc præceptum suum, et Joan. XIII. mandatum novum: *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem.* Præceptum autem Christi proprium est, de diligendis etiam inimicis, itemque novum, quia ut notat ibi Sanctus Cyrillus, diligere amicos novum non erat.

Mandatum vero est, diligendos etiam inimicos, saltem in generali, qua ratione omnes homines diligere debemus, eis salutem optare et precari, in necessitate juvare, etc. (in speciali vero quasi amicos, consilium tantum.) Viderit ergo quisquis rectis oculis aspiciet inimicum noluerit, ne in divino illo examine, ut adulterinus abjiciatur; quemadmodum et Saul rex abjectus est, quia: *Non rectis oculis aspiciebat David a die illa* (triumphi scilicet habiti de Goliath) *et deinceps*, ut dicitur, I. Reg. XVIII. Sed difficile est, inquires, intueri solem, non possunt hoc omnium oculi; difficile mihi persuadeo, quomodo inimicum meum etiam amare debeam, cum vix in eadem domo vel civitatem eum tolerare possim.

Ego vero dico multa esse etiam fortissima argumenta, quæ hoc tibi persuadere debeant, quorum hic aliqua attingam.

I. Diligere inimicum debes propter Christum; et primo, quia tam serio id præcepit: *Ego autem dico vobis, etc. Hæc mando vobis. Hoc est præceptum, etc.* Mirabile est, quod soli homini toties replicare legem suam debeat Deus, cum reliquis creaturis unico tantum verbo imperarit, et semper obsequentes habeat. Ipse semel tantum dixit mari: *Usque huc venies et non procedes amplius, et hic confringes tumentes fluctus tuos*, Job. XXXVIII. et mare semper obedit.

Vide igitur ne si tu voci Dei obedire recuses, cum mare obediat, in te quadrat quod Isaiæ XXIII. dicitur Sidoni: *Erubescet Sidon, ait mare.* Erubescet Christiane ait mare; si quidem obedio semper ad unam Dei vocem, cum tu ad multas non obedias. Quid quod dominis temporalibus, etiam in rebus illicitis prompte obediunt homines; et Deo non obediunt justissimam rem petenti? Qua ratione putatis animavit Absalon servos suos ad immanem fratris suis cædem perficiendam? Non alia, quam voce illa: *Percutite eum, nolite timere*,

ego sum qui præcipio vobis, II. Reg. XIII. Quid igitur dicemus, si non audiamus Deum nostrum tam gloriosum opus dilectionis nobis præcipientem? *Ego dico vobis*, qui Deus, et cujus voluntas est regula æquitatis: *ego*, qui mercedem æternam do: *ego*, qui animam et corpus perdere possum, si quis non obediat.

Secundo, diligere debemus inimicum propter Christum, quia amorem, quem Deo debemus, ipse jubet nos impertire inimico nostro.

Creditorem habes Paulum; tradit hic chirographum Petro amico suo, licet inimico tuo, jubetque ut pecuniam quam ipsi debes, nomine ejus Petro numeres. Quid tu hic excusabis? Non debes Petro? Debes tamen Paulo, et cui voluerit Paulus donare jus suum, seu chirographum.

Debes profecto Christo dilectionem omnem, quia dilexit te prior et redemit; te jam hoc jus suum contulit Christus omnibus hominibus, adeoque etiam inimicis tuis, voluit enim ut eos diligeres propter ipsum.

Nil igitur habes excusationis, alioqui convinceris etiam amicos diligere a te non propter Deum, sed propter ipsos, vel tuam utilitatem.

Hoc medio usi fratres Josephi, obtinuerunt ab illo non modo injuriæ condonationem, sed etiam magnam amorem. Mortuo enim patre Jacobo, timentes et mutuo colloquentes, ne memor sit injuriæ, quam passus est ab eis Joseph, ita precantur: *Pater tuus præcepit nobis antequam moreretur ut hæc tibi verbis illius diceremus: Obsecro ut obliviscaris sceleris fratrum tuorum, et peccati, et malitiæ, quam exercuerunt in te.*

Quo audito Joseph non modo non recordatus est injuriæ; sed etiam beneficia plurima eis contulit, Genes. L. Præcepit similiter nobis Christus paulo antequam moreretur, nimirum in sermone cœnæ Domini, sæpius ut diligeremus invicem sine exceptione omnes; cur ergo non diligis saltem propter Christum tuos inimicos? Sed fratres illi erant, inquit. Quid tum? Prius inimici persecutores Josephi erant.

Deinde, non Aman infensissimus erat Mardocheo? Et nihilominus tamen propter regis mandatum eum honoravit, circumducens per totam civitatem et coram omnibus prædicans: *Sic honorabitur quemcumque voluerit rex honorare*, Esth. VI. dic tu similiter mihi: Quid debet fieri homini, quem vult Deus diligere? Nonne ab omnibus debet diligere?

Hoc igitur tu facito, si non propter hominem saltem propter Deum. Quod si bene perpendis, tu ipse quotidie uteris hoc medio ad impetrandam peccatorum tuorum veniam.

Petis enim condonari peccata tua propter

Christum, ejusque merita: non autem propter te, qui odium et supplicium mereris. Dilige ergo similiter inimicum propter Christum, beneficiis cumula, etc.

Tertio, propter Christi exemplum. Præceperat Christus diligendos inimicos corde: *Diligite inimicos vestros*: ore, orate pro persecutoribus vos: opere, benefacite his, qui oderunt vos, totum hoc exemplo suo docuit: corde dilexit Judam, quem sciebat suum fore proditorem, in ultima cœna eum cibavit, prostratus ad ejus genua pedes ejus lavit et tenuit, ne curreret ad præcipitium: oravit pro inimicis suis in cruce: benefecit Malcho comprehensori suo, cum auriculam ejus sanavit. Et quis videat hæc facientem regem suum, ipse vero non faciat?

Franciscus I. Gallorum rex, ut primum litteras, a quibus sui majores semper abhorruerunt, amare cœpit, statim secuta nobilitas est. Deinde, reliqui ordines, tanto studio artes bonas conquisierunt, ut nusquam litteratorum extiterit copia major, Bodin. method. hist. capite VI. Ad eundem modum postquam Christus incepit amare inimicos, quos priora retro sæcula odisse consueverunt, mox secuti eum primo ejus proceres apostoli Sanctus Jacobus, S. Stephanus, etc. qui morientes pro inimicis suis ad exemplum Christi orarunt: ille: *Ignosce illis, quia nesciunt, quid faciunt*: hic vero: *Ne statuas illis hoc peccatum.*

Deinde, innumerabilis sanctorum patrum turba, qui ad imitationem Christi se in hac virtute magno studio exercuerunt, ut jam complanata et tristissima videatur hæc vita. Et sicut Socrates, referente Seneca: *Carcerem intravit, ipso loco ignominiam detractus*; ita Christus diligendo inimicos suos ipsis ignominiam et horrorem omnem detraxit, ut jam non turpe, sed gloriosum haberi debeat, diligere inimicos. Cur quæso nunc exosulamur crucem? Nonne quia Christus eam amplexus est, et sanctificavit ab omni horrore? Omnino ergo amplectere et osculare inimicos, quia etiam Christus eos amplexus est, et ab omni horrore vindicavit.

II. Propter teipsum. Et quidem primo, quia maximus tibi inde fructus proveniet, de quo alibi integro sermone. Secundo, ob professionem tuam et statum christianæ perfectionis: *Cum Christianum dico*, ait D. Ambrosius, super Psalm. CXVIII. *perfectum dico.*

Non est autem perfectus, qui non diligit inimicos. Sic enim Christus post traditam illi dilectionis inimicorum legem, subdit: *Si enim diligitis eos, qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? Nonne et Publicani hoc faciunt? Et si salutaveritis fratres vestros tantum, quid amplius facitis? Nonne*

et ethnici hoc faciunt? Estote ergo vos perfecti sicut et Pater vester cœlestis perfectus est.

Igitur si vere Christiani esse et Christianorum mercedem lucrari volumus, transcendere naturam et extendere amorem nostrum etiam ad inimicos debemus, id quod majoris est difficultatis (sicut difficilius longe inflammatur lignum viride, quam aridum) et majoris meriti: alioqui quæ forte audeat aliquis pulsare fores cœli et clamare: *Domine, Domine aperi nobis*, si nihil præclarior fecit, quam ethnici et peccatores fecerint.

Imo non dubium, quin tales magis abominetur Deus, quam ethnicos, qui de hac doctrina nihil cognoverunt.

Hoc enim est, quod Apoc. III. de episcopo Laodiceæ dicitur (quemadmodum exponit S. Ambrosius super prædictum Psalm. CXVIII. D. Thom. q. III. de malo; Beda et alii): *Utinam frigidus esses aut calidus, sed quia tepidus es, et nec frigidus, nec calidus, incipiam te evomere ex ore meo.* Frigidus enim infidelem designat, qui aliquam habet propter ignorantiam, in qua versatur, imperfectionis suæ excusationem; tepidus vero fidelem, qui deterior frigido reputatur, si in eadem imperfectione sit, propter notitiam veritatis, et ampliora a Deo beneficia accepta. Unde sicut ovum semifetum, si rumpatur, magis fetet, quam si omnino crudum fuisset: ita tepidi et semifeti Christiani, magis foetent coram Deo, quam gentiles.

III. Propter ipsos inimicos, si quidem multum tibi prosunt. Nam primo, a peccatis multis et preservant, et abluunt a commissis. Coram amicis nugaris, detrahis, turpia loqueris, mentiris, inebriaris, etc. quæ omnia non faceres præsentem inimico tuo; ut vere pædagogi nostri vocari possint inimici, qui semper observant mores nostros.

Ita David, quamdiu Saulem habuit infensum et persecutorem, tamdiu in omnibus viis suis prudenter agebat, ut dicitur I. Reg. XVIII. nec deliquit aliquando. At ubi suum pædagogum, suum hostem amisit Saulem, in adulterium lapsus est et homicidium, quia jam neminem habebat, qui delinquentem carperet: quod mox fecisset Saul si occasionem habuisset.

Similiter etiam peccata tua abstergunt et sanant, dum ea tibi ob oculos ponunt et exaggerant. Rari sunt amici vere fideles, vel si sunt, ægre tolerantur, qui pravos amicorum mores carpere audent.

Unde Socrates dicebat, hominem indigeré, vel vero aliquo amico, vel crudeli inimico. Talis fuit eidem Davidi post lapsum Semei: vocabat enim

eum inter alias contumelias, virum sanguinum, et ita revocabat ei in mentem adulterium et homicidium perpetratum, II. Reg. XVI.

Unde non incongrue vocatur ibi Semei, canis a servo Davidis Abisai: quia nimirum allatrando Davidem, lingebat interim et sanabat vulnera Davidis, quæ lamentatur in Psalmo L. ipse, cum ait: *Libera me de sanguinibus.*

Quis irascitur chirurgo vel ejus instrumento, cum urit aut secat putridum, aut infectum aliquod membrum? Imo non solum libenter id quisque sustinet, sed præterea chirurgum large remuneratur.

Ita ergo sustinuit Semei David, dicens: *Dimitte eum ut maledicat, si forte respiciat Dominus afflictionem meam, et reddat mihi Dominus bonum pro maledictione hac.* Si quis tibi maculam in facie aut veste tua ostendat, gratias illi habes; at hoc faciunt tibi inimici tui, cum tibi probra tua objiciunt. Ipsi tui veridici sunt, et quomodo eos odisse potes, cum veritatem omnes appetant?

Secundo, ad virtutem stimulant, præcipue vero in patientia exercent: et hoc sensu putat Sanctus August. dictum esse de Esau: *Major serviet minori*, hoc est, Esau Jacobo, Gen. XXV. non obsequendo scilicet, sed persequendo et ad virtutem exercendo: *Quomodo servit ignis auro ad splendorem et puritatem acquirendam.* Cujus rei præsagium erat, quod in ipso matris utero pugnabat in fratrem Esau.

Sane Dominus noster Petrum, qui conabatur eum a passione revocare, dicens: *Domine non erit tibi hoc*, dure allocutus est: *Vade retro post me Satana, non sapis ea quæ Dei sunt.*

Contra vero Judam, cum ab eo in manus hostium tradebatur, amicum salutavit: *Amice ad quid venisti? Et cur ita putatis? Insinuare nobis voluit, quanti meriti sit patientia injuriarum, cujus materiam, quia nobis afferunt inimici, eamque in nobis exercent, merito amici vocandi et ut amici diligendi sunt.*

Hinc nobilis quædam matrona Alexandriæ, ut scribit Cassianus, coll. XVIII. cap. XIV. petebat ab antistite Athanasio unam de pauperibus viduis, quæ Ecclesiæ impensis alebantur, cui posset benefacere, et domi suæ ministrare.

Cumque ei data esset una, quæ virtute cæteris præcallebat, conqueri cœpit, non esse datam, quam volebat: ideoque unam petiit, quæ esset omnium importunissima, ut sic in ea sustentanda non solum liberalitatem, sed etiam patientiam exercere posset: quam cum nacta esset egit gratias S. Athanasio dicens: *Tandem delegi contubernalem; cui pro malo bonum, pro injuria beneficium reddere assuefaciam.*

Tertio, quia ad gloriam te promovent et coronam in dorso tuo tibi fabricant.

Unde sanctus ille verissime dixit (apud Corneliū de Lapide, in Gen. cap. XXXVII. *Persecutores aurifabri sunt, qui nobis et præsentis et æterni regni coronas fabricant.*

Quis ergo non amet illos? Dic quæso, si forte rude aliquod saxum elaboret lapicida malleis et scalpellis, et inde conficiat pulchram statuam, quæ posita in altari ab omnibus honoratur cui prætereuntes caput aperiunt, genua curvant, etc.

Quid quæso mali commisere instrumenta illa, quæ statuam hæc tusionibus et infinitis ictibus elaborarunt? Nihil omnino mali, sed plurimum boni præstitere, quia ad dignitatem eam promoverent. Ita res habet in proposito.

Aspice Josephum illum adhuc puerum, et a fratribus in cisternam missum; postea Ismaelitis venditum, et in Ægyptum abductum, postmodum in tetrum carcerem conjectum: quis non tunc eum miserimum omnium diceret et infelicissimum? Revera tamen felix erat: nam per has tribulationes omnes manipulus ejus (quemadmodum in somnio vidit) erectus est; fratrum vero manipuli dejecti: per hæc promotus est ad maximam dignitatem, et tandem a fratribus et tota Ægypto adoratus: *Ideo*, inquit Sanctus Gregorius, lib. VI. moral. cap. XII. *venditus est a fratribus Joseph, ne ab eis adoraretur, sed ideo est adoratus, quia est venditus.*

Quæro jam ex te: Visne tu aliquando in cælo tibi locum esse, et inter sanctos computari? Omnino ais. Patere igitur, imo exosculare lapicidas tuos, quia per illos elaborandus es. Omnes electos lapides vivos esse cælestis Jerusalem discimus ex hymno Ecclesiæ: *Urbs Jerusalem beata. Et quid ibi canimus? Inter alia etiam hæc: « Illuc introducitur omnis, qui ob Christi nomen hoc in mundo premitur: tusionibus, pressuris expoliti lapides suis coaptantur locis: disponuntur permansuri sacris ædificiis. »* Quare non absurde licet impie Julianus apostata, cum catholicorum et præsertim ecclesiasticorum bona diripiebat, dicere solebat: *Hæc ratione eos magis expeditos reddo ad regnum cælorum, beati namque inter eos sunt pauperes, quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Pòmpon. Lætus, in ejus vita. Non, inquam, falso aut absurde duxit, nam etiamnum orbis colit et veneratur, quos ipse fecit martyres: ipsum vero execratur. Propterea sancti martyres sæpe gratias agebant iis, a quibus patiebantur. S. Ignatius ad bestias damnatus dicebat, se eas contra se exstimulaturum, ne sibi parcant, quia: *Ignoscite filioli, aiebat, quid mihi prosit ego scio:*

nempe frumentum Christi sum, dentibus bestiarum molar, ut panis mundus efficiar.

Sanctus Cyprianus martyr carnifici traditus prius illi numerari rogavit ab amicis viginti quinque aureos, Pontius, in ejus vita. Beatus Thomas Morus carnifici osculum et angelotum aureum dedit, diceas: « Tu mihi hodie id beneficii præstiturus es, quod hactenus nemo mortalium præstitit, aut præstare voluit, » Staplet. capit. XX. in vita.

Hæc in præsentiarum sufficiant nobis, ut rectis in posterum oculis inimicos intueamur; si enim hæc non sufficiunt, quomodo non adulterinæ Christi proles sumus? Quomodo non metumus, ne a parente nostro æternum abjiciamur, adeoque sinistro etiam oculo ab eo aspiciamur?

CONCIO III.

OSTENDITUR MULIEREM DEBERE ESSE VIRO
SUBDITAM.

I. Ex sacra Scriptura. — II. Ex lege naturæ. — III. Ex jure gentium. — IV. Ex decreto divino.

THEMA.

Non est servus major domino suo. Joan. XV.

Deus magnos sanctos ejusdem apostolicæ dignitatis nec imparis sanctitatis hodie celebrat Ecclesia, Simonem inquam et Judam, sed video, nescio quam sortis disparitatem in duobus his nominibus.

Nomen Judæ adeo vitant homines, ut non facile reperias aliquem a tempore proditoris Judæ, qui hoc nomine vocatus sit: contra nomen Simon (Germanica nostra lingua scriptum, sicut proverbio enuntiamus: *Sein Weib heist Symann*) omnes pene ambiunt et imprimis mulieres, quæ nimirum maritorum officium et imperium usurpare moluntur.

Verum enim vero non video quo jure hoc nomen sibi arrogent, quod vel ex hodierno discimus evangelio. Si enim non est servus major domino suo; utique nec mulier viro suo, cujus dominatui jam pridem subjecta fuit a primæva Dei institutione.

Accedit gentium opinio: *Quæris enim pudica mulier*, inquit Euripides, apud Clement. Alexandrinum, libro IV. strom. *est viri serva.* Vereor ne mulieres, ægre istud audiant, quamobrem fusius ostendendum est.

I. Ostendit S. Scriptura et lex divina.

Primo, Genes. III. ubi ad Evam Deus dixit: *Sub viri potestate eris; et ipse dominabitur tui.*

Propterea etiam post virum et occasione viri tantum creata et formata est, et quidem ex osse ejus: ad hæc ad virum adducta est, non vir ad mulierem: denique, a viro nomen ei impositum, non secus ac brutis animantibus viro subjectis.

Secundo, idem confirmat Ecclesiast. capite XXV. *Mulier, si primatum habeat, contraria est viro suo*, quasi diceret: *Rebellis, veluti si servus rebellet contra dominum suum. Ex qua rebellionem et contrarietate necesse est sequi lites et perturbatio nem totius domus: unde Sanctus Augustinus, de catech. rud. ait: Cum femina dominatur in virum perversa et misera domus est.*

Tertio, item docet Sanctus Petrus, epist. I. cap. III. ubi cum capite præcedente jussisset servos subditos esse dominis suis, subjicit capite III. *Similiter et mulieres subditæ sint viris suis.*

Quarto, idem pluribus in locis inculcat Sanctus Paulus ad Ephes. V. *Mulieres, inquit, viris suis subjectæ sint, sicut Domino, quoniam vir caput est mulieris: ergo existimet mulier se obedire Christo, si obediat viro.*

Deinde, ad Coloss. III. *Mulieres subditæ estote viris, sicut oportet, in Domino*, quasi diceret: Secundum Christi Domini legem et evangelium; vel in Domino, id est, quatenus nihil præcipiunt, quod est contra Dominum Deum.

Tertio, I. Tim. II. inquit: *Mulieri non permitto dominari in virum, sed esse in silentio.* Quibus verbis excludit omnes exceptiones, v. g. si dicat aliqua, maritum suum simplicem et imprudentem, infirmum vel pusillanimum, vel humiliori loco natum esse, quam sit ipsa; respondebit semper apostolus: *Mulieri non permitto dominari in virum.*

Quarto, ad Tit. II. jubet mulieres subditas esse viris suis, ut non blasphemetur verbum Dei. Quia ut ait Sanctus Hieronymus: *Verbum Domini blasphematur, dum contemnitur Dei prima sententia et pro nihilo ducitur: vel Christi infamatur evangelium, dum contra legem fidemque naturæ ea, quæ Christiana est, et ex Dei lege subjecta viro, imperare desiderat: cum et gentiles feminæ viris suis serviant communi lege naturæ.*

II. Ostendit lex naturæ: siquidem mulier viro longe inferior facta est, viribus corporis, consilio, affectibus, qui magis sensuales, faciles et molles sunt in muliere, quam in viro. Unde Ecclesiast. capite VII. ait: *Virum de mille unum reperi, mulierem ex omnibus non inveni.*

Denique, mulier in dominatu est impotens, insipiens, avara, exactionesque magnas imperat ad sui et familiæ ornatum suaque non tam ex

ratione et judicio, quam ex affectu et libidine, vel ex impetu et præcipitania. Unde infirmum et inconstans semper fuit mulierum imperium, uti historiæ docent.

Dicat autem lex naturæ, ut qui plus habet virium, prudentiæ, cordis, etc. præsit ei, qui habet minus. Quare merito præcepit Deus, Dent. XXII. *Non inductur mulier veste virili*: quia scilicet nequaquam decet, ut mulier viribus animi et corporis viro inferior, viri dignitatem, officium et auctoritatem assumat. Monstrum est hoc in natura, velut si discipulus velit regere magistrum, cæcutiens videntem, infirmus portare sanum, vel si viri flā ducere, mulieres militare aut arare: hoc autem fit, si uxor maritum verberet, domo excludat, refectione privet, a pecuniis arceat, etc. Audi Augustinum in quæst. super Gen. c. CLIII. *Est ordo, inquit, naturalis in hominibus ut serviant feminæ viris: quia et illic justitia est hæc, ut infirmior ratio serviat fortiori; et hæc in dominationibus et servitutibus clara justitia est, ut qui excellunt ratione, excellent dominatione.*

Id ipsum etiam in naturis aliis cernere est, in quibus mas communiter præstantior est femina: unde Elianus, libro XI. capite XXVI. ait: « Sexus masculus etiam inter bruta videtur a natura præferri: siquidem draco mas insignis est crista et barba hirsutus: gallinaceus et ipse cristatus; palear insuper velut barbam gerit: cervus cornutus: leo jubatus: cicada mas canorus est. » Aves etiam mares præcellunt feminas communiter pulchritudine, magnitudine, cantu, etc. ergo non mulier sed vir cristam et cornua gerat; vir loquatur, mulier taceat.

Turpe semper æstimatum est regi vinci a femina juxta id Isai. III. *Mulieres dominatæ sunt eis, et illud Philonis, apud Anton. in melissa, tom. II. serm. XXXIV. A muliere dominari summum est viro dedecus.* Quod dedecus in Romanis exprime-re volens Cato, exit: *Mulieres regunt nos senatum, senatum Romam, Roma orbem*; vel ut est apud Livium, dec. IV. lib. IV. *Omnes homines uxoris dominantur, nos omnibus hominibus, nobis autem uxores.*

Abimelech, pro maximo pudore habuit occidi se a femina, Jud. IX. Nec diffitetur regina quædam Constantinopolitana, quæ Bulgarorum regi multaminitanti respondit, meminisse eum debere, si vinceretur, fore turpissimum: si vinceret, parum et gloriosum, feminam vicisse, Baron. tomo X.

III. Ostendit jura et mos gentium. Primo, apud gentiles: Aristoteles enim, II. polit. c. III. taxat Spartanæ viris imperantes: Cato apud Livium, lib. XXXIV. *Majores, inquit, nostri nullam ne privatam quidem rem agere feminas sine auctore voluerunt, sed in manu esse virorum.* Imo secundum